

scebat; non per hoc licet inferre, id tunc evenisse, quando jam bellum erat absolutum; quia aliter, usque ad belli exitum, & non, bello senescente, scripsisset; ut superius quoque observavimus.

Et eo magis hoc verum cuique probatur, quod post præfatarum urbium ab Hannibale defectionem, ab eodem Livio dicitur, Romanum Consulem cum Hannibale in Crotonensi agro pugnasse. *Idem Consul cum Hannibale in agro Crotonensi acie conflixit*; quæ statim verba superioribus adjunguntur. Non ergo bellum erat absolutum, non extinctum, sed tantummodo senescebat; & quum senesceret, adhuc in Pœno vires erant, quibus Romano Consuli resisteret. Et nihilominus Brutii, jam Romanis adhærentes, Pœno non fa-verunt, sed cum illo pro Romanis constanter pugna-runt.

Nec opponuntur nobis, quæ ex eodem Livio de-cad. 3. lib. 3. defumi posse videntur; Brutios scilicet om-nes, solis Petellinis exceptis, a Romanis ad Hanniba-lem defecisse: *Eodem tempore Petellinos, qui uni ex Brutii manserant in amicitia Romana, non Carthagi-nienses modo, qui regionem obtinebant, sed Brutii quo-que ceteri, ob separata ab se consilia, oppugnabant.* Hæc enim per exaggerationem scripta sunt, quia in eo-dem libro, post recensita verba, idem Livius addit: *Recepta Petellia, Pœnus ad Consentiam copias traducit, quam minus pertinaciter defensam, intra paucos dies in deditioem accepit.* Consentia autem Brutiorum urbs erat nobilissima, immo inter Brutiorum urbes facile princeps.

Post Consentiam, eodem Livio teste, citato jam loco, Crotonenses, Locrenses, Rhegini, Vibonenses, Thurii, Mamertini, pluriumque aliarum urbium po-puli,